



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Dispvt. CII. An potentia Dei aliquo modo ab eius scientia, & voluntate
differat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

principium agendi in aliud, potentia vero passiva est principium patendi ab alio, vt Philosophus dicit 5. Meta. Relinquitur ergo, quod in Deo maxime sit potentia actiua.

Ad primum ergo dicendum, quod potentia actiua non diuiditur contra actum, sed fundatur in eo. Nam vnumquodque agit secundum quod est actus, potentia vero passiva diuiditur contra actum. Nam vnumquodque patitur secundum quod est in potentia. Vnde hæc potentia excluditur à Deo, non autem actiua.

Ad secundum dicendum, quod quandoque actus est aliud à potètia, oportet quod actus sit nobilior potentia. Sed actio Dei non est aliud ab eius potentia, sed vtrumque est essentia diuina: quia necesse eius est aliud ab eius essentia. Vnde non oportet quod aliud sit nobilior, quam potentia Dei.

Ad tertium dicendum, quod potentia in rebus creatis non solum est principium actionis, sed etiam effectus. Sic igitur in Deo saluatur ratio potentie quantum ad hoc, quod est principium effectus, non autem quantum ad hoc, quod est principium actionis, quæ est diuina essentia: nisi forte secundum modum intelligendi, prout diuina essentia (quæ in se simpliciter præhabet quiddam perfectionis est in rebus creatis) potest intelligi, & sub ratione actionis, & sub ratione potentie: sicut etiam intelligitur, & sub ratione suppositi habentis naturam, & sub ratione nature. Sic igitur in Deo saluatur ratio potentie, quantum ad hoc, quod est principium effectus.

Ad quartum dicendum, quod potentia non ponitur in Deo vt aliquid differens à scientia, & à voluntate secundum rem, sed solum secundum rationem, in quantum scilicet potentia importat rationem principij exequentis id, quod voluntas imperat, & ad quod scientia dirigit. Quæ tria Deo secundum idem conueniunt. Vel dicendum quod ipsa scientia, vel voluntas diuina secundum quod est principium effectuum, habet rationem potentie. Vnde consideratio scientie & voluntatis præcedit in Deo considerationem potentie, sicut causa præcedit operationem & effectum.

Notatio circa articulum.

Conclusio est, In Deo est potentia actiua. Præter multa quæ observatione digna erant, circa tertium S. Tho. vnum tantum placuit adnotare, cetera namque in disp. sequi explicari necesse erit. Illud autem est, mentem ipsius in hac questione solum esse, disputare de potentia, quæ Deus extra

se producit effectus, tamen si de potentia ad operationes immanentes non nihil etiam in hoc articulo tradat, vt in seq. disp. referemus. De potentia autem generandi Filium, & Spiritum sanctum differit quæst. 41.

DISPUTATIO CII.

An potentia Dei aliquo modo ab eius scientia, & voluntate, differat.

Status controuersie, cap. 1.

Quid senserit Durandus, cap. 2.

Potentiam in Deo formaliter esse scientiam, & voluntatem verior opinio fert, cap. 3.

Quomodo potentia in Deo sit scientia, & intellectus, cap. 4.

Respondetur argumentis Durandi, cap. 5.

Explicatur doctrina S. Thomæ in solutionibus argumentorum, cap. 6.

CAPVT I.

Status controuersie.

Cum inquitur de potentia Dei, quidnam sit, non de potentia patiente, sed de agente intelligimus. Certum enim est, vt docet S. Thom. in hoc art. potentiam patientem in Deo non esse, vt ex q. 3. de simplicitate Dei, & qu. 9. de immutabilitate perspicue colligitur. De potentia autem Dei agente duo extra controuersiam sunt vnum est, non esse veram potentiam agentem in Deo comparatione actionum immanentium, quæ sunt communes Trinitati, vt intellectio, & volitio. Nam quamuis inter S. Tho. & eius Scholam ex vna parte, & Scotum, eiusque discipulos ex alia quæstio sit, vtrum in Deo intellectus distinguatur ab intellectu & voluntas à volitione ex natura rei non solum per intellectum nostrum, cum in vniuersum de attributorum distinctione inter se, & ab essentia non eodem modo sentiant, vt disp. 116. videbimus: nullus tamen est, qui doceat has actiones immanentes in Deo esse veras productiones procedentes ab intellectu, & voluntate ex natura rei: sic enim necessarium quodque esset fateri in Deo processiones essentielles, & communes tribus personis; ex quo etiam sequeretur, plures esse personas, quam tres, imo in infinitum multiplicari. Cum igitur, vt concedamus aliquam potentiam producentem ex natura rei, necesse etiam sit, ei tribuere productiones, quæ non solum nostro modo intelligendi, sed etiam suapte natura productio sit, & nullus Scholasticorum hactenus dixerit, Deo esse communes illas productiones per intellectum, & voluntatem, quas essentielles operationes vocamus; sit, vt nullus doceat, in Deo esse ex natura rei potentiam agentem intellectus ad intelligendum, & voluntatis ad volendum communem tribus personis; tamen aliqui Scholastici fateantur potentiam agentem in Patre ex natura rei ad generandum: in Patre autem, & Filio potentiam producentem eodem modo ad spirandum, de quibus disputat. 164. dicendum est. Itaque ad operationes immanentes communes & essentielles solum debemus concedere potentias agentes nostro modo intelligendi; hoc est, potentias, quæ à nobis concipiuntur, per modum agentis, & elicientis, licet re ipsa nihil producant. Hoc autem intelligendum est

sine

S. Thom.
Ferrar.

In Deo est
potentia vere
activa respectu
creaturarum.

3.
Potentia
activa Dei
nec distinguitur
ab essentia,
nec refertur
ad creaturas.
Scotus.

sive potentia distinguantur ab actibus ex natura rei, ut censet Scotus; siue sola ratione, ut putat S. Tho. eo quod potentia, quæ ex natura rei vere potentia est, & non solum concipitur, & nominatur instar potentia, aliquam operationem reipsa producit: talis autem potentia non est communis in Deo ad intelligendum, & volendum. Hæc sententia est aperte S. Thom. in hoc articulo ad 3. & 2. contra gentes cap. 10. & Ferrar. ibidem.

Alterum sine controuersia est, in Deo esse potentiam agentem comparatione creaturarum: est enim in Deo principium, quo vere, & realiter creaturas producit, potentia autem agens nihil aliud est, quam principium productionis, & actionis: quare non solum nostro modo intelligendi, sed etiam reipsa est in Deo potentia agens.

Ceterum, cum dicimus, hanc potentiam agentem vere esse Deo respectu creaturarum, & non tantum nostro modo intelligendi, non credimus, eam distingui ex natura rei ab essentia, tamen si Scotus ita sentiat: sed ideo dicimus, vere in Deo esse potentiam agentem, & non solum consideratione intellectus nostri, quia aliquid secundum rem ab ea vere procedit, siue potentia idem sit cum essentia, siue ab ea ex natura rei distinguatur: nam in questione posita distinguitur ex natura rei ab essentia, cui inest: cum tamen omnes asserant, in creaturis vere esse potentiam agentem, non tantum secundum considerationem nostri intellectus, sed etiam reipsa.

Ex hoc tamen, quod concedamus in Deo potentiam re ipsa ad creaturas, non proinde asserimus in hac potentia esse relationem plusquam rationis ad creaturas: nec id voluit S. Thom. docere, cum 2. contra gentes cap. 10. dixit, Manifestum est, quod potentia dicitur de Deo per respectum ad facta, secundum rei veritatem, non per respectum ad actionem, ut aliqui falso arbitrantur, alioquin etiam esset in potentia Dei respectus plus quam rationis ad facta, qui ex tempore adueniret, quod est absurdum: sed illud, secundum rei veritatem, referri debet, non ad respectum, ut denotet respectum reale inhaerentem, sed ad potentiam, ut denotet in Deo vere & realiter esse potentiam producentem eorum, quæ fiunt: potentiam autem actionum immanentium, tantum esse secundum considerationem nostram. Porro in Deo nullum esse respectum ad creaturas plusquam rationis, ostendimus disp. 104. cap. 6. His ergo suppositis præsens controuersia est, quid sit in Deo potentia agens respectu creaturarum, utrum sit intellectus, & voluntas, an aliquid aliud: cum quæ in Deo suapte natura omnia sint vnum, nisi quæ relative opponuntur, quæstio nunc est, an nostro modo intelligendi potentia agens differat ab intellectu, & voluntate.

CAPYT II.

Quid senserit Durandus.

Durand.
opinio.

Durandus in 1. d. 38. q. 1. censet proximum principium rerum in Deo non esse scientiam, seu voluntatem, sed potentiam: ex quo videtur eam distinguere a scientia, & voluntate: ita ut quemadmodum in nobis realiter differt potentia exequens, quæ est in manibus, pedibus, aut lingua, a voluntate, & scientia, ac proinde proximum principium motus secundum locum, aut locutionis

est potentia, exequens, quæ in pedibus, aut in lingua est, voluntas vero & intellectus sunt remota principia: sic etiam in Deo instar harum potentialium, quæ sunt in nobis, intellectu nostro distinguamus facultatem exequentem, & producentem res tanquam proximum principium eorum ab intellectu, & voluntate, tanquam a remotis principiis.

Hæc sententia nonnullis recentioribus mirum in modum probatur; atque eadem proportionem habet facultatem motricem in Angelis, quæ seipsos, & corpora mouent, a voluntate & intellectu distinguunt, alij quidem cum Scoto ex natura rei, alij vero cum S. Tho. per intellectum nostrum. Quare ita existimant, differre potentiam exequentem in Deo, & in Angelis a voluntate, & intellectu, ut nec intellectum, nec scientiam, nec voluntatem in sua ratione formaliter includat. Fauer etiam huic opinioni S. Thom. in hoc a. in prima solutione 4. ubi videtur distinguere secundum rationem potentiam exequentem in Deo ab intellectu, & voluntate.

Confirmat autem Durandus, primum quia voluntas, & intellectus non sunt proximum principium rerum potentia autem est proximum principium: ergo potentia non est intellectus, & voluntas. Intellectum autem & voluntatem non esse proximum principium, probat: quia potentia, quæ secundum propriam suam rationem æque respicit creatum, & increatum obiectum, non est principium proximum producendi aliquid extra: nam principium producendi non respicit id, quod creati non potest: intellectus autem & voluntas secundum suas proprias rationes a quæ respiciant creatum, atque increatum, quia ita versantur circa creaturas, sicut circa Deum qui creati non potest, sicut circa impossibilia, quæ etiam creati nequeunt: ergo non possunt esse principium producendi creaturas: quare oportet potentiam Dei, quæ ut principium harum rerum constituitur, ab eis distingui. Deinde confirmatur: quoniam cum in Deo omnia attributa reipsa sint quid vnum simplicissimum, & sola ratione nostra secundum veriore sententiam distinguantur, instar eorum, quæ in rebus creatis videmus: atque in rebus creatis ut in animalibus, quæ cognitione, & appetitione mouentur, præter has duas potius scilicet exequens motum; eadem proportionem in Deo præter intellectum, & voluntatem, alia potentia constituenda est quæ sit proximum principium producendi creaturas exequendo id, quod intellectus iudicauit, & voluntas decreuit. Hanc sententiam videtur existimare probabilem Cater. in hoc art. tamen si oppositam probabiliorem, & magis conformem menti Doctoris sancti esse censet.

CAPYT III.

Potentiam in Deo formaliter esse scientiam, & voluntatem verior opinio fert.

Multo verior sententia est aliorum, quidam enim, nullam aliam in Deo constituendam esse potentiam exequentem, præter intellectum, & voluntatem, vel sola ratione nostra distinguam. De Deo ita sentit expresse Scotus in 1. dist. 37. q. 1. cum probat, posse intelligi Deum operari, ubi non esset secundum substantiam, si aliqui non esset immensus, quia sua omnipotentia, est suæ voluntatis.

cas. Idem docet Bassilius in 2. d. 8. qu. 1. §. Quantum ad primum Tertar. 2. contra Gm. cap. 10. Caiet. in hoc art. fauet etiam S. Thom. in solutione 4. cum secundo respondens argumento; dicit, nihil aliud esse potentiam Dei, quam scientiam, vel voluntatem, quatenus est principium rerum. Id quod putat probabilis Cavarientis in 1. p. 8. Tho. qu. 27. art. 1. disp. 4. p. 2. Itaque in hac opinione potentia includit scientiam, aut voluntatem, vel utramque simul; sed addit respectum, & rationem principij, hoc est, scientia, & voluntas ipsa, quatenus efficax est ad res producendas, dicitur in Deo potentia. Atque idcirco differunt nostro modo intelligendi potentia, & voluntas, sicut includens, & inclusum, quia potentia includit voluntatem, & scientiam: sed scientia, & voluntas secundum se possunt considerari absque eo, quod sint principia rerum: & in hunc sensum interpretari possumus S. Tho. quem præced. cap. allegauimus. At opinio Durandi, ita distinguit potentiam à scientia, & voluntate, ut nullo modo illas vel aliquam illarum includat. Ut autem hanc sententiam confirmemus, & explicemus, duo nobis ostendenda sunt. Vnum est frustra in Deo constitui potentiam exequentem præter intellectum, & voluntatem, id quod in hoc capite probabitur. Alterum est, utrum potentia in Deo sit ipse intellectus, & voluntas, an vtriusque operatio, scilicet scientia, & volitio id quod sequenti capite explicandum est.

Prætergo bifariam probatur, tum in vniuersum de Deo, & Angelis, tum etiam peculiari ratione de Deo. In vniuersum quidem, nam ut optime docet Caiet. infra q. 54. art. 5. potentia mouens secundum locum in anima, & intellectus idem est, quod intellectus, & solum diuersa ponitur ex parte corporis: quia cum corpus subiciatur animæ, indiget alia vi, & facultate, qua ipsi obediatur: eadem ergo, & potiori ratione Deo non est tribuenda potentia mouens, & exequens ab intellectu, & voluntate distincta. Porro in separatis à materia frustra constituitur talem facultatem parer ex doctrina Aristot. 3. de anima cap. 10. ubi definiens, quæ sit potentia mouens secundum locum in ipsa anima parum à principio sic ait: *Hæc igitur ambo intellectus, & appetitus mouendi motu dicto principia sunt.* & paulo post hæc duo reducens ad vnum tantum inquit: *Vnum igitur est id, quod mouet ipsum inquam, appetitum;* assignans id, quod ex parte animæ est proximum principium motus, nempe voluntatem, nam intellectus, & scientia remote operatur, quatenus excitant, & dirigunt appetitum. Ob quam rationem disp. 81. cap. 2. diximus voluntatem Dei propinquius, quam intellectum, attingere effectum. Demum non longe à fine capitis, ut ostendat, voluntatem per se solum non esse principium motus, sed aliam facultatem motricem ei seruire, subiungit, *Id vero quod mouet atque mouetur, est ipsum principium appetendi: id autem quod mouetur, est animal ipsum, at quo mouet appetitus ut instrumento, id iam corpori tribuitur.* Ex hac doctrina Philosophi colligitur, frustra in separatis à materia aliud principium motus, & operationis exterioris assignari præter appetitum. Nam si in animalibus constituitur etiam potentia exequens in ipso corpore, ideo est, quia anima, cum sit natura sua coniuncta corpori, non nisi medio corpore ut instrumento effectus corporeos operatur, & ideo, ut infra 194. cap. 3. dicitur, separata nequit mouere corpora, quæ mo-

uer conuincta. Cum ergo Deus, & Angelus non indigeant corpore frustra præter appetitum, seu voluntatem; aliquam facultatem exequentem ipsis tribuimus: alioqui etiam animæ coniunctæ conueniret.

Deinde facultas exequens distincta ab appetitu eo modo sub ea constituitur, ut ei pareat, & non nisi ad nutum illius operetur. Hanc vero subiectionem in homine, qui duplici substantia altera spirituali, altera corporea constat, recte intelligimus: in simplicissima substantia, qualis est Deus; & in Angelo, qui ea compositione caret, non facit intelligitur, quomodo vna facultas ad exequentiam obediatur voluntati, aut quæ sit necessitas, ut talem facultatem distinctam constituamus.

Ceterum in Deo nullam aliam facultatem præter voluntatem esse posse, probant aliqui ex Scriptura Ephes. 1. *Operatur omnia secundum consilium voluntatis sue.* Psalm. 127. *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit.* Psalm. 148. *Ipsè dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt.* Tum etiam confirmant auctoritate Patrum, nam Leo 1. serm. 2. de nativitate inquit: *Deus cuius natura bonitas, cuius voluntas potentia, &c. & Aug. lib. meditationum cap. 29. de Deo ait. Cuius voluntas opus, cuius velle posse est.* Hæc tamen, & multa alia testimonia solum probant, omnium rerum productionem pendere ex nutu Dei: at non esse enim aliam potentiam exequentem, quæ pendeat ex voluntate sicut in nobis, ex eis certe non colligitur. Nam & de quouis homine recte dicitur, ambulat, quando vult; ubi vult, & eo quo vult, solum, quod nutu voluntatis suæ potentia mouens secundum locum operatur. Et in iis, quæ subsunt nutui suæ volūtatis, dicitur eius posse esse eius velle: non alia ratione, nisi quia omnino id subditur volūtati ipsius. Hæc tamē ratione efficaci id confirmari potest. Quoniam licet in Deo plures consideremus perfectiones, & attributa ratione nostra distincta, instar eorum, quæ in nobis videmus: nec id repugnet summæ illius simplicitati; nunquam tamen attributa, & facultates in Deo, etiam nostro modo intelligendi, multiplicare debemus, si aliquo pacto perfectioni, & efficacitati infinitæ illius derogetur: constituere autem potentiam exequentem distinctam ab intellectu & voluntate derogat perfectioni voluntatis diuinæ: inde enim sequitur, ut voluntatem secundum se concipi à nobis sine virtute perfecta & infinita, cum alia facultas ad exequentiam ei tribuatur, sicut in nobis secundum se non est efficax, & cōpleta ad operandū, cum alia facultate, ut instrumento indigeat: ergo non est constituenda alia facultas exequens in Deo distincta, & iam secundum rationem à voluntate; siquidem voluntas ita perfecta debet concipi in ratione voluntatis, ut cum velit, & desideret facere aliquid, per se ipsam illud assequatur. At dicunt aliqui. Deus potens est operari extra se, quatenus infinitus est, non in genere scientis, & volentis, sed simpliciter in genere entis: hæc enim infinitas in genere entis simpliciter conuenit Deo, quatenus eminenti quadam ratione habet in se omnem perfectionem, quam alia communicare potest: ergo ratio omnipotentia conuenit Deo, non ratione intellectus, & voluntatis, sed proxime ratione suæ essentia, quæ infinita simpliciter est in genere entis. Atque hoc ipsum haberent reliquæ formæ, ut sine accidenti ipsis

Confirmatur.

9°

Confirmatur.

aliqui testimonia Scripturae & Patrum.
Ephes. 1.
Psalm. 127.
Psalm. 148.
Leo. 1.

August.

Quid probet testimonio.

De Deo probatur ratione efficiens.

10°

conueniret. Adde, quod, ut diximus supra disp. 87. cap. 2. talis insinatio, & imperium in Deo non est, ut rebus provideat, aut eas efficiat, & gubernet: ergo talis insinatio non est potentia Dei.

Hac eadem proportionem in Angelis potentia mouens secundum locum ponenda non est distincta omnino à voluntate, & intellectu, sed eas includens, quatenus ut principium, ad motum ipsum referuntur. Sed quia Angelo nec scientia, nec volitio actu semper inest; potentia autem semper inesse debet, ideo nullam scientiam, nullam etiam volitionem ad potentiam pertinere dicimus, sed nudum intellectum, & voluntatem; tamen si nulla harum potentiarum operetur proxime per se ipsam, sed per actum elicitem immanentem scientiæ & volitionis.

At obiciunt aliqui hoc modo. Cum potentia in Deo sit attributum quoddam Dei peculiare ab aliis distinctum; debemus illud assignare simplex nostro modo concipiendi, & non quasi ex duobus aliis, nempe ex intellectu, & voluntate concinatum. Respondeo, cum Deus extra se operetur, non in quantum est, sed in quantum vult, & voluntas sine cognitione non possit operari; mirum videri non debet, si ex his duobus constituamus in Deo potentiam, quæ est principium operandi: quia tale agens duo requirit principia, ut potens intelligatur ita tamen, ut utrumque non eodem modo sit principium operis; nam intellectus est principium per modum dirigentis; voluntas autem per modum impellentis, ut dicitur 87. cap. 2. dictum est.

CAPVT V.

Respondetur argumentis Durandi.

Ationibus vero factis pro sententia Durandi facile occurrere possumus. Ad priorem dicimus, intellectum & voluntatem non esse proximum principium rerum, quia media scientia, & volitione operantur; nihilominus facultatem volentis, sine operatione volendi immediate ad potentiam pertinere, tamen si intellectus non nisi ratione scientiæ pertinent, ut explicatum est. Quia ita debemus constituere potentiam, proximum principium operis, ut tamen non in sit libere, sed naturaliter, & necessario: ideo ex parte voluntatis nullum actum diximus, esse ipsam potentiam, sed nudam ipsam facultatem volendi. Ratio vero, quæ Durandus probat, intellectum, & voluntatem non esse proximum principium operis, frivola est: Quod enim intellectus, & voluntas Dei versentur circa creatum, & increatum, siue circa Deum, siue circa res impossibiles, non probat, ipsam non esse potentiam Dei aliquo modo. Dico aliquo modo, quia intellectus, & voluntas latius patent, quam potentia; hæc enim tantum respicit creaturas; at intellectus quatenus intellectus respicit etiam increatum, ut Deum, vel etiam impossibilia, quæ creari non possunt; ut disput. 67. dictum est; voluntas, vero prout voluntas est, saltem circa Deum ipsum versatur: nam circa impossibilia non operatur, nisi fortasse actu odij, & displicentiæ. Ea ergo ratio Durandi non probat, intellectum, & voluntatem sub peculiari modo non posse potentiam Dei, ea nempe ratione, quæ sunt principia rerum, ex quo solum sequitur potentiam in Deo omnino non distinguere à voluntate, & intellectu.

Vasquez in 1. part. Tom. 1.

actu, ita ut ipsa non includat: bene tamen sequitur ab eis differre, sicut includens ab incluso, aut sicut excedens ab excessu.

Ad posteriorem rationem respondeo ex iis, quæ dixi c. 3. in fine, ita videlicet nostro modo intelligendi ex rebus creatis in Deo esse varia attributa distinguenda, ut eius perfectioni, & virtuti in actu nihil derogetur; sed ita, ut quicquid imperfectionis est in creaturis submoneamus cum ad Deum proprietates earum transferimus, & quia in nobis ex imperfectione provenit, potentiam exequentem distinguere omnino à voluntate, quoniam voluntas non est ex se efficax ad operandum per se ipsam, Dei autem voluntas perfectissima est; alio modo Deo tribuimus potentiam exequentem, quam nobis.

Ceterum pro priori sententia Durandi, ut probent, potentiam in Deo non esse intellectum & voluntatem, nonnulli recentiores hac ratione videntur. Deus non ideo est omnipotens, quia omnia faciat; imo vero ideo omnia facit, quia est omnipotens: nam in seipso ut omnipotenti, tanquam in causa cetera omnia cognoscitur etiam non ideo omnipotens est, quia vult, ut optime dicitur. S. Thom. artic. 5. ad 1. imo vero non est omnipotens, quia potest velle producere: ergo nec intellectus nec voluntas pertinent ad potentiam Dei. Respondeo primum, Deum nostro modo intelligendi non ideo cognoscere omnia, quia sit omnipotens; sed potius contrarieque creaturas intueri in se, sicut in causa, quia sit omnipotens, sed in seipso eas intueri sicut in specie expressa: utrumque autem fufius ostendi disput. 66. Deinde de voluntate dico, Deum non esse potentem, quia velit producere; id quod iam nos præcedenti capite expresse notauimus, & ita diximus velle Dei, non esse potentiam Dei, sed ideo Deum esse potentem, quia potest velle producere: nisi enim voluntatem haberet, quæ posset velle, nihil producere posset: male igitur prædicti Doctores assument, non ideo Deum esse omnipotentem, quia posset velle.

CAPVT VI.

Explicatur doctrina S. Thom. in solutionibus argumentorum.

Cum iis, quæ hæcenus diximus, consonat S. Thom. doctrina Doctoris Angelici in solutionibus argumentorum, si recte intelligitur. tamen si Caietanus solita subtilitate mentem illius interpretatus eam non fuerit plane assequutus. Primum ergo inter alia, quæ elicit ex solutione secundi & tertij argumenti est illa propositio: Actio sic comparatur potentie, ut, si ad Deum transferatur, idem sit cum essentia diuina. Circa quam propositionem ipse dubitat, quomodo fieri possit, ut actio potentie, quæ in creaturis est transiens, ita sit Deo tribuenda, ut idem omnino sit ex natura rei cum ipsa essentia. Respondet autem bifariam iuxta duas opiniones, quas videtur S. Thomas tangere in solutione 4. nam si dicamus, potentiam Dei esse idem cum intellectu, & voluntate, tunc plane constat, quomodo actio potentie translata ad Deum sit idem, quod essentia eius: quia actio imaginans intellectus, & voluntatis, medijs quibus exterius operatur potentia Dei, est idem cum essentia, non autem actio transiens, quæ est in creatura.

Mmm tura

tura producta. Si vero potentia in Deo sit aliquid omnino distinctum ab intellectu, & voluntate, ut putavit Durandus, quam etiam opinionem indicare videtur S. Thom. in solutione 4. tunc non est recurrendum ad actionem immanentem, sed actio potentie dicitur esse idem cum essentia divina, quia in omni agente per operationem transeuntem, præter relationem agentis manet etiam aliquid absolutum, quod est fundamentum illius relationis distinctum ab ipsa potentia agendi. In Deo autem operante per potentiam, fundamentum illud est idem omnino cum essentia, ratione cuius vera est illa propositio superius posita, nempe, *Actio potentie, si ad Deum transferatur, idem est cum essentia.*

19.

*Doctrina
Caiet. repu-
gnat. Arist.
primo.*

Secundo.

Aristot.

*Tertio ra-
tioni.
Ferrar.*

*Repugnat
etiam doctri-
na S. Thom.*

20.

*Explicatur
mens S. Tho.*

Sed præterquam quod prædicta doctrina Caiet. manifeste falsa est, & contra Aristot. est etiam contra mentem Doctoris S. Thom. sane est falsa, & contra Aristot. nam ille 4. Met. cap. 55. relationem agentis non putat fundari in absoluto aliquo, quod maneat in agente, sed in ipsa actione: dicit enim, relatiua secundi generis esse tantum potestas & potentiarum actiones. Secundo si aliquid absolutum confurgeret in agente dum agit, iam agens in quantum agit, mouetur; quod Aristot. existimat absurdum 3. Physic. cap. 3. atque inde probat, actionem non esse in agente, sed in passio. Tertio intelligi nequit, nedum explicari, quid sit illud absolutum in agente, in quo fundatur relatio, præter ipsam potentiam: frustra ergo asseritur. Quare melius Ferrar. 2. contra gent. cap. 1. docet, ex actione transeunte nihil manere in agente præter relationem. An vero hæc considerari possit per modum, & actionis, dicemus infra disput. 17. 5. cap. 2.

Cæterum aliam esse mentem S. Tho. consideranti solutionem secundi, & tertij facile patebit: nusquam enim illam propositionem quam elicit Caiet. insinuat. Sed in solutione 2. solum loquitur de comparata cum actu immanente, & ostendit, tunc solum actum potentie esse nobiliorem potentia, quando distinguitur ab ea, ut in nobis intellecta. Sed non loquitur de actione transeunte ipsius potentie, sicut in solutione 3. nec argumentum contendit hanc actionem esse nobiliorem aut perfectiorem potentia ipsa. Respondet igitur S. Thom. non probari eo argumento, in Deo non esse potentiam respectu actuum immanentium, quamvis actus non sit nobilior, quia actus idem est quod essentia, & potentia ipsa ex natura rei: tamen in solutione 3. alia ratione concedat, non esse potentiam ex natura rei respectu actionum immanentium. In solutione ergo 3. asserit in Deo non esse potentiam respectu operationum, seu actionum, intelligit, immanentium, nisi secundum nostrum modum intelligendi, quia sicut in primo capite dicebamus, ut sit potentia secundum rem, opus esse suapte natura distingui ab operatione. Concedit tamen in Deo potentiam respectu effectus, hoc est, respectu operationis transeuntis, sic enim eam vocat, & distinguit ab immanente, quam appellat actionem, eo quod effectus productus extra Deum distinguitur extra naturam rei ab ipso Deo, à potentia illius. Potest igitur esse in Deo realis potentia ad effectum, & non solum nostro modo intelligendi.

*Actiones
immanentes*

Sed observandum est, actiones immanentes intellectus, & voluntatis, quibus Deus producit

extra se creaturas, nullo modo esse actiones transeuntis ipsius potentie Dei, ut immerito nonnulli Thomistæ existimant, sed præter immanentes intellectus & voluntatis, quæ potius sunt principium, & causa efficiens operationis, & effectus transeuntis extra Deum, esse etiam actionem, & per operationem transeuntem, quæ idem est cum ipso effectu. Omnis enim causa habet actum medium inter ipsam, & effectum: quemadmodum enim forma media informatione, ut actu proprio dat esse, materia media receptione, quæ est passio, habet esse à forma: sic etiam agens media actione producit esse, non dico, media actione, quæ ei sit veluti forma ad producendum effectum, qualis est intellectio intellectui, & volitio voluntati ad operandum extra, sed quæ est via inter ipsam causam, ut in actu primo informatam, & effectum ipsum, qualis est creatio in ipsa creatura producta, & creata: generatio in regenta. Colligitur hæc doctrina ex S. Thom. 2. contra gent. cap. 1.

Secundo circa doctrinam solutionis secunde nota, tunc esse perfectiorem actum quam potentiam, quoties est immanens, ut intellectio perfectior est, quam intellectus; ea enim est perfectio potentie in ipsa manens: at quoties operatio potentie est transiens, ut edificatio, non est nobilior potentia, quæ est principium illius. Hæc enim actio non est perfectio ipsius potentie, sed effectus, & rei extra producta, ut ibidem docet S. Thom. & ita potentia artis multo perfectior est opere ipso artis, & productione illius. Neque obstat, quod perfectius ordinetur ad imperfectum, quia non ordinatur ad illud, tanquam ad ultimum, sed medio illo ad ulteriorem finem hominis, & universi.

Tertio advertendum est, ex duabus solutionibus, quas adhibet S. Thomas quarto argumento, priorem esse, potentiam differre secundum rationem à scientia, & voluntate, ita ut eas non includat, eam tamen non omnino probari Doctori sancto, & ideo addidisse posteriorem, quæ docet, potentiam esse ipsammet scientiam, & voluntatem, quatenus sunt principia rerum: quam patet veriorum Ferrar. loco allegato in 3. cap. Quare deceptus fuit Ferrar. 2. contra gent. cap. 1. ad 4. cum dixit priorem solutionem esse ex mente S. Thom. atque posteriorem in versutis codicibus non reperiri, quod si verum esset, ipse contra Doctorum Sanctum docuisset eodem lib. cap. 10. cum potentiam in Deo dicit esse ipsam scientiam, & voluntatem, aut sui ipsius non fuisset memor, ut oportebat.

ARTIC. II.

Verum potentia Dei sit infinita.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod potentia Dei non sit infinita. Omne enim infinitum est imperfectum secundum Philosophum in 3. Physicorum. Sed potentia Dei non est imperfecta. Ergo non est.

2. Præterea. Omnis potentia manifestatur per effectum, alias frustra esset. Si igitur potentia Dei esset infinita, posset facere effectum infinitum. Quod est impossibile.

3. Præterea. Philosophus probat in 8. Phys. quod si potentia alicuius corporis esset infinita, moueretur instanti. Deus autem non mouet in instanti, sed mouet creaturam spirituales per tempus, creaturam vero corporalem per locum & tempus, secundum Aug. 8. super Genes. ad litteram. Non ergo est eius potentia infinita.

Sed contra est quod dicit Hilar. 8. de Trinit. quod Deus est immensæ virtutis viuens & potens. Omne autem immensum est infinitum. Ergo virtus diuina est infinita.

Respondeo dicendum, quod sicut iam dictum est, secundum hoc potentia actiua inuenitur in Deo, secundum quod ipse actu est. Esse autem eius est infinitum, in quantum non est limitatum per aliquid recipiens, ut patet per hæc, quæ supra dicta sunt, cum de infinitate diuinæ essentia ageretur. Vnde necesse est, quod actiua potentia Dei sit infinita. In omnibus enim agentibus hoc inuenitur, quod quanto aliquod agens perfectius habet formam, quæ agit, tanto est maior eius potentia in agendo. Sicut quanto est aliquid magis calidum, tanto habet maiorem potentiam, ad calefaciendum. Et haberet utique potentiam infinitam ad calefaciendum, si eius calor esset infinitus. Vnde, cum ipsa essentia diuina, per quam Deus, agit, sit infinita (sicut supra ostensum est) sequitur quod eius potentia sit infinita.

Ad primum ergo dicendum, quod Philosophus loquitur de infinito, quod est ex parte materiae non terminatæ per formam: cuiusmodi est infinitum, quod conuenit quantitati. Sic autem non est infinita diuina essentia (ut supra ostensum est) & per consequens nec eius potentia. Vnde non sequitur quod sit imperfecta.

Ad secundum dicendum, quod potentia agentis vniuersalis tota manifestatur in suo effectu. Potentia enim generatiua hominis nihil potest plusquam generare hominem. Sed potentia agentis non vniuersalis non tota manifestatur in sui effectus productione. Sicut potentia Solis non tota manifestatur in productione alicuius animalis ex putrefactione generati. Manifestum est autem quod Deus non est agens vniuersale. Nihil enim aliud potest cum eo conuenire neque in specie, neque in genere, ut supra ostensum est. Vnde relinquatur, quod effectus eius semper est minor, quam potentia eius. Non ergo oportet quod manifestetur infinita potentia Dei in hoc quod pro-

Vasquez in 1. p. tom. I.

ducat effectum infinitum. Et tamen etiam si nullum effectum produceret, non esset Dei potentia frustra: quia frustra est, quod ordinatur ad finem, quem non attingit. Potentia autem Dei non ordinatur ad effectum sicut ad finem, sed magis ipsa est finis sui effectus.

Ad tertium dicendum, quod Philosophus in 8. Physic. probat, quod si aliquod corpus haberet potentiam infinitam, quod moueretur in non tempore. Et tamen ostendit, quod potentia motoris cæli est infinita: quia mouere potest tempore infinito. Relinquitur ergo secundum eius intentionem, quod potentia infinita corporis si esset, moueretur in non tempore: non autem potentia incorporei motoris. Cuius ratio est, quia corpus mouens aliud corpus est agens vniuersale. Vnde oportet quod tota potentia agentis manifestetur in motu. Quia igitur quanto mouentis corporis potentia est maior, tanto velocius mouet: necesse est, quod si fuerit infinita moueat inproportionabiliter citius, quod est mouere in non tempore. Sed mouens incorporeum est agens non vniuersale. Vnde non oportet, quod tota virtus eius manifestetur in motu, ita quod moueat in non tempore. Et præsertim, quia mouet secundum dispositionem suæ voluntatis.

Notatio circa articulum.

Conclusio articuli est. Potentia Dei est infinita. Eius vero ratio manifesta est in littera, & sequenti disp. magis explicabitur. Nam solum nota circa textum S. Thom. hic eum non ageret de infinitate essentia, de hac enim qu. 7. disputatum est, sed de infinitate essentia, quæ ratione differt ab infinitate essentia, sicut ipsa potentia ab essentia distinguitur: quæ quidem differentia in disputat. parebit.

DISPUT. CIII.

Quid sit infinitas potentia Dei, & quatione distinguatur.

Varia opiniones, cap. 1.

Facilior explicatio. & demonstratio infinitatis potentia Dei, cap. 2.

Argumentum contra prædictam sententiam, cap. 3.

CAPVT I.

Varia opiniones.

Potentiam Dei esse infinitam, sicut est eius essentia, sapientia, duratio, & alia attributa, nemo dubitat, tamen non omnes eodem modo potentia Dei explicant. Referemus ergo in hoc cap. aliorum rationes, ut sequenti ex propria sententia eam explicemus, & demonstremus. Primo quidem Henricus in summa artic. 25. q. 6. & S. Thom. infra qu. 45. a. 5. ad 3. S. Thom. or-

Mmm 2

pro-